



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Illvstrivm Miracvlorvm Et Historiarvm Memorabilivm Lib. XII

Caesarius <Heisterbacensis>

Antverpiae, 1605

De Mauricio episcopo Parisiensi, qui in fine suo per communionem sacram  
sencum recepit, cap. 43.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-13177**

tur, si ipse Dei filius sub eodem sacramento tam vere  
 raciter & tam gloriosè percipitur, & ex ipsa percep-  
 tione charitas intenditur, amodo libentius commu-  
 nicabo. CÆSARIUS: in sacra Eucharistia quàm mul-  
 tiplex sit gratia, quàm multiplex virtus & medicina,  
 subiecta declarabunt exempla.

## CAPVT XLIII.

*Effectus  
 aliquot  
 miri S.  
 Eucharis-  
 tice.*

**M**agister Mauricius Parisiensis Episcopus ante  
 mortem suam tam grauius infirmatus est, vt  
 materia rapta in cerebrum sensum ei subtra-  
 xerit: in tali defectu positus, cum corpus Domini cum  
 instantia postulasset, & hi qui circa eum erant, pro-  
 pter sensus inopiam, illud ei dare non audent, pro-  
 curauerunt cum sacerdote, vt hostiam non benedi-  
 ctam apportaret. Qui cum venisset cum multa reue-  
 rentia, qualiter decebat Episcopum communicare,  
 mox vt limen domus sacerdos attigit, Episcopus clara  
 voce clamauit: Tolle, tolle, non est Dominus Deus.  
 Reuelauerat Deus auriculam eius, vt intelligeret quid  
 circa se ageretur. Stupente sacerdote, nec non & alijs  
 qui aderant, reuersus est, verum Christi corpus dese-  
 rens. Quod cum verbis catholicis valde, atque com-  
 punctus adorans, deuotè suscepit, cum quo & sensum  
 ad Dei gloriam subtractum perfectè recepit. Sicque  
 in bona confessione, plenus fide & charitate, migravit  
 ad Dominum.

## CAPVT XLIV.

*Psal. 8.*

**S**imile cõtingit cuidam infantulo, sicut fratres eius  
 carnales, Ludolphus & Henricus monachi no-  
 stri, mihi narrauerunt: qui cum infirmaretur,  
 Spiritu factò afflatus, corpus Christi sibi dari pe-  
 tiuit: cumque eum parentes compescerent, ille forti-  
 ter clamauit: Date mihi corpus Domini. Delatum est  
 verbum ad sacerdotem, qui cum diceret, non est secu-  
 rum tali puero, qui non intelligit quid sit, dare cor-  
 pus Domini, hostiam ei detulit non benedictam. Quam  
 cum ei porrigere vellet, & diceret, Ecce hîc est corpus  
 Domini, vt Dominus ex ore infantis perficeret lau-  
 dem, & destrueret perfidiam multorum, qui de eodem  
 sacra-